



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

60. Henricus cognomento Caecus, Comes Namurcensis & Luxeburgensis, Broniensem S. Gerardi Abbatiam, quae est Benedictinorum, an. 1154. in protectionem suscipit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

CAPVT LX.

Henricus, cognomento Cacus, Comes Namurcensis & Luxeburgensis, Broniensem S. Gerardi Abbatiam an. 1154. in protectionem suscipit.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen. Ego HENRICVS, Dei gratia Comes Namuci & de Luzeleburgh, omnibus veritatis amatoribus assentire pietati.

Quia pium est & amicum Deo suam ecclesiam tueri & confouere, ego HENRICVS Broniensem ecclesiam, cum vniuersis ad se spectantibus, in mea tutela & defensione suscipio, & sicut prædecessores mei dignoscuntur eam inuiolabiliter custodisse, sic & ego diligenter obseruabo. Modum suæ libertatis, ad pacem ipsius ecclesiæ & villæ Broniensis, & S. Laurentij partem, quam habet ecclesia in Leobinis, & Foseis, & Merendrech, subnotare feci & confirmaui.

Igitur Aduocatiam siue nomen Aduocati non habeo in ecclesia, sicut nec antecessores mei habuerunt, sed ipsius defensor existo, pro suis orationibus, & reuerenti mandato duorum Imperatorum. Ecclesiam Broniensem & villam, cum suprædictis villis, in aliquo grauare non teneor, nec de exactione, nec de placito, nec de iudicio, nec de consuetudine ipsarum meum est tractare. Quod si quando vocatus accedam, non ad mercedem mei consilij & defensionis spectare debeo

1154.

Data anno M. C. LIV.

NOTATIONES.

HENRICVS) Comes Namurcensis, Conrado II. Comite Luxeburgensi sine heredibus masculis defuncto, Comitatum Luxeburgensem ab Imperatore obtinuit, & post annum 1188. admodum senex obiit; cum Agnete vxore sua, Gelriæ Comitissæ filia, conditus Florefiæ, quam Henrici pater Godefridus Comes Namurcensis an. 1121. condiderat. Stemmata nostra Belgica cap. 23. lege.

NAMVCVM) vt mediæ æui scriptores nuncupant, hodie Namurcum,

tum, *Namur*, vrbs est episcopalis, ad *Mosæ* & *Sabis* confluentes sita, habetque arcem egregiè munitam ac pænè inaccessibilem, in rupe collocatam.

BRONIUM) hodie est *S. Gerardi* Abbatia Benedictinorum, ab illius loci fundatore ac primo Abbate *S. Gerardo* Broniensi sic dicta, qui *Blandiniense*, *Bauonicum*, *Bertinense*, *Gissenianum*, & alia non pauca eiusdem ordinis Benedictini cænobia Belgica reformauit, ac demùm anno 958. Bronij in Domino obdormiuit. Vitæ eius historia exstat apud *Surium*.

Est autem Abbatialis hodie dignitas Broniensis annexa Episcopatu *Namurcensi*, vt *Affligemienfis* Archiepiscopatu *Mechliniensi*, *Bernardina* ad *Scaldim* Episcopatu *Antuerpiensi*, *Prumiensis* Archiepiscopatu *Treuerensi*, & *Stabulensis* Episcopatu *Leodicensi*.

CAPVT LXI.

Fredericus I. Imp. possessiones ecclesie S. Mariae Antuerpiensis, quæ nunc est cathedralis, an. 1157. confirmat, petente Rainero, eiusdem ecclesie Præposito.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. FRIDERICVS diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus.

Quandocumque in his, quæ ab antecessoribus nostris Regibus, & Imperatoribus tradita & confirmata sunt, nostræ Imperialis corroborationis piè exigitur suffragium, celeri effectui est attribuendum. Et si in his exposcitur quod perpetuò durare videtur, literis est annotandum, ne prolixitas temporum hoc posteris reddat dubium vel incertum.

Nouerit igitur omnium tam futurorum quàm præsentium Christi Imperijque nostri fidelium industria, qualiter RAINERVS ecclesie *S. Mariæ*, matris Domini, in *Antuerpia* Præpositus, præsentiam Maiestatis nostri adiit, porrigens nobis priuilegia proauj nostri *Henrici* Romanorum Imperatoris quarti, & Imperatoris *Lotharij* tertii, & multùm supplicans Maiestati nostræ per dilectum Cancellarium nostrum *Rainaldum*, quatenus ea nostris oraculis confirmare vellemus.

R

Nos